

Valentin Tschudi¹⁾ an Vadian.*Paris. 1519. Juni 22.*

Sein Bedauern, Vadian beim letzten Besuch in St. Gallen nicht angetroffen zu haben. Mitteilung, dass ihm eine Pfründe in Glarus angeboten worden. Bitte, ihn unter seine Freunde aufzunehmen.

Domino Ioachimo Vadiano, præceptori suo colendissimo, Valentinus Scudus Glareanus S. D.

Scripseram ad te autumno præterito, Vadiane doctissime, ut, quoniam tam diuturno nostro silentio forte tibi excideram, tandem rursus agnosceres discipulum, qui, ut tui studiosissimus semper fuit, ita nunquam sua barbarie tuis obstrepere auribus ausus erat. At ignoro, si literas has tuus Viennam reditus prævenit; quod vel ob hoc mihi molestius fuerit, quod iisdem amicum, immo præceptorem demereri non licuerit. Accessit et aliud hoc etiam magis molestum. Nam nuper in patria cum essem (donaverant enim me Glareani nostri, idque Zinglii ductu, qui in omnibus fidissimus semper mihi patronus astitit, beneficio — ut vocant —, quod hic prius obtinuit; eius rei causa a Parrhisiiis revocatus eram), ad divi Galli oppidum matris visendæ gratia, hac unica fiducia^{a)}, quod te illic a me conveniri posse sperabam, diverteram; sed spe falsum ac ob id dolentem discedere oportuit. Quapropter ea sublata occasione muneri literis tecum agendi denuo me accingo; quod si has hilari vultu susceperis, grati erga præceptorem discipuli officio strenue perfungar. Quæ vero in his barbara et illevigata subsultabunt, — obvenient autem crebra —, obturatis, rogo, legas auribus, ne inde offendantur, ac pro tua humanitate ad ea conniveas. Cæterum nil est, quod æque exoptem, quam ut ego, qui ferme præ situ oblitteratus eram, in dilectorum tuorum reponar albo. Id mearum erit partium, ne semel receptus rursus repudiar (!). Vale, Musarum decus. Ex Parrhisiorum Lutetia, decimo Kalendas^{b)} Iulias, MDXIX.

Ioachimo Vadiano, poetæ laureato, medico famatissimo, præceptori bene merenti.

An herr doctor Joachim von Watt.

a) Durchwegs „-tia“, „-tio“ für „-cia“, „-cio“ u. ähnl. — b) Calendas.

1) Valentin Tschudi von Glarus war ein Schüler Vadians; von ihm sind 10 Briefe in unserer Sammlung aus den Jahren 1519—1535.